

138

11.
373

TENTAMEN LEGALE
De
POSSESSIONE,

Quod
CONSENTIENTE MAGNIFICO
AC NOBILISSIMO JCTORUM ORDINE,

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilis, Amplissimi, atq; Consultissimi

Dn. MICHAELIS FRIDERICI LEDERERI,

J. U. L. meritissimi;

Dn. Fautoris ac Præceptoris
optimè meriti, colendi,

publicæ ventilationi sistit

AUTOR

Hans Gurdt à BODENHAUSEN, Eq. B.

In Collegio JureConsultorum,

Addiem . Julii.

WITTEBERGÆ,

Literis RÖHNERIANIS, Acad. Typogr.
A. O. R. M. DC. LXIII.



11

PROBATIONEN
IN
SACHSEN-ANHALT
VON
1700
BIS
1750
VON
HERRN
HANS
CHRISTOPH
VON
MANNING
HERRN
HANS
CHRISTOPH
VON
MANNING
HERRN
HANS
CHRISTOPH
VON
MANNING





In nomine Domini nostri Jesu
Christi.

Procomia Jurisprudentiæ nostræ
diligentiori perlustrantem scruti-
nio, utilitatem præcipuè, & fru-
ctuum præstantiam, quam percipere ha-
bent ejusdē cultores, ponderare oportet.
Ipsius Romani nostri Legislatoris Justi-
niani testimonium, dubitanti de eādē,
scrupulum facile eximet: asserentis in
*S. ult. præmii Inst. Spem pulcherrimam
eruditos prudentia Legislatrice fovere, eos
toto legitimo opere perfectō Remp. aliquan-
do gubernaturos. Nec minùs congrua
dicti Sacratissimi Imperatoris sententia,
quâ leges neminem in paupertate vivere,
aut in anxietate mori patiuntur. in epil. nov. i.*
Sed & hic singularis studii ejusdem oc-
currens subtilitas, quemvis facile in sui
admirationem rapere poterit. **Quote-**
A 2 nigro 3 1/2 nim

nim, quantisq; illud ipsum scateat subtili-
tibus, subtilissimorum Juris Consulto-
rum testantur lucubrationes? quàm innu-
merabiles & inextricabiles se præbeāt con-
troversia, non ignorat, qui prima saltem
pimis labris degustavit juris Elementa. In-
ter eas non ultimum intricatissimæ pos-
sessionum materia nullus non facile as-
signabit locum. Interim eam summis laudi-
bus amplificare, operæ pretiū minimè esse
puto: Sufficiat illud unicum Jcti Ulpia-
ni elogium *in l. 1. π. de Restit. in Integr.* hic
adduxisse; *Utilitas hujus tituli non eget com-
mendatione, ipsa enim se ostendit.* Quo-
circa & mihi Jurisprudentiæ campum
percurrenti dicta præ reliquis arrisit ma-
teria, ut eam ulteriori dignam judicave-
rim elaboratione. Quod, dum molior,
*omnem spem ad solam refero summe provi-
dentiam Trinitatis, unde & mundi totius
elementa proceserunt & rerum dispositio in
orbē terrarum producta est l. 1. C. d. vet. Jur.
Enucl.* Hanc itaq; rogo, ut cepta feliciter,
provehere dignetur.

§. 1. Q.

§. I.



Mne Jus nostrum ex præceptis Juris Nat. Gent. & civ. tanquam fontibus ac principiis collectum esse, testis est ipse Imperator in §. 4. *Inst. de Just. & Jur. & L. 6. w. Eod.* Implantavit quippe Deus cordi humano certa quaedam præcepta, secundum quæ actiones hominum essent instituendæ moderandæq; dicta eadem exinde Juris Naturalis, quod ab ipso immediate profectum Deo, mediante rectâ ratione, ut reliquis imaginis divinæ, regit ipsos homines. Sed & aliud, postquam homines in civilem coivère societatem, communi Gentium consensu inductum Jus, ab autoribus suis Jus Gentium appellatum. Tandem Juris Civilis essentiam in addendo & detrahendo Juri Naturali & Gentium, per modum determinationis absolvi, docet Imperator Sacratissimus in *L. 6. de Just. & Jur.* Etsi itaq; dominii originem ejusq; pleniorum distinctionem certo respectu Juri Gent. cum Hermogeniano in *L. 5. π. de J. & J.* adscribere habeamus necesse; quin tamen per modum indicationis à Jure Nat. ipsa dominiorum distinctio dependeat, negari vix poterit, teste *Conrad. Summenb. de contract. lic. & illic. tract. 1. quest. 2. v. hic duo sunt* citato à Domino *Habnio de Just. & Jur. n. 16. in verbis, ut sunt.* Nec improbabilis fortè Grotii sententia, quâ per quandam consecutionem Juri Nat. dominium assignat *L. 1. de Jur. bel. ac pac. c. 1. n. 10.* Quatenus dominiorum distinctio voluntatis humanæ actum supponit, eumq; consequitur. Neq; enim tantum in acquisitione dominii, sed etiam continuatione ejus, voluntatis

A 3

humana



humanæ dispositio ad partes maximè vocanda. Interim non soli voluntati tam arduum negotium assignari poterit, sed & factum hominum non minores in proprietatis ac domini constitutione absolvit partes. Rectè itaq; Nerva filius in *L. 1. §. 1. π. de ff. A. vel. A. P.* disserit: *dominium rerum à possessione naturali capisse.* Nec aliud per naturalem possessionem intelligit JCT9 quam actualem possessionem. *Nob. Dn Strauch. in tract. de Imperio maris c. 1. n. 8.* Quò & Grotii sententia spectare videtur de *Jur. bel. ac Pa. L. 2. c. 8. n. 3.* *Reqviritur autem, inqvientis, corporalis qvædam possessio ad dominium adipiscendum.*

§. II Verum, priusqvum ipsam materiam possessionis aggrediar primùm derivationem inspicere habeo necessè; Hæc enim secundum Sophorum regulam nos deducit in cognitionem rei. At verò dubia *L. 1. π. de Ac. l. A. P.* dubios & indivasas inclinantes sententias reddit Doctores. Florentina lectione, (huic enim in diversis lectionibus summa tribuitur autoritas) quam & Holoander approbavit, nonnulli inducti, à sedibus possessionem, quasi sedum positionem, deducunt, *qvia naturaliter tenetur ab eo, qvi ei, insistit;* qvæ ratio ab ipso subjecta Paulo in *dict. L. 1.* Hinc in lingvâ germanicâ dicitur eine *Besitzung.* Et eam Pauli JCTi fuisse sententiam colligi haud difficulter potest ex *l. 3. §. 5. π. de Ac. l. A. P.* In qvâ idem JCTus ex Labeonis sententiâ asserit, quod possessio non magis apud duos esse possit, quam ut in eo loco in qvo ego sedeo, tu sedere videaris. Ex diverso vulgata sententia, *Jasonem, Giphanium, Corrasium, Cujacium ad dict. leg. 1.* aliosq; seduxit, ut à pedibus posses-

sio

sionem derivarent, partim, quod pedes sint fundamentum totius corporis, partim, quod possessionis initium & fundamentum sit corporalis apprehensio. Sed priorem verior em & rei magis ac sono vocis convenientem esse existimo, quoniam possessio in se & sua natura habet aliquam quasi sedum positionem. Vocabulum verò insistere possessioni in *d. l. 1. pr. de Ac. l. A. P.* non accipiendum pro simpliciter inherere rei possessæ, aut inchoare rem possidere, sed potius continuare illam, ac ita insistere continuandæ possessioni: deinde, quoniam illa phrasid scilicet, sedes habere (quod est domicilium habere) in jure nostro usurpatur in *l. 203, π. de V. S.* Confiteor interim cum *Bachovio ad Treutl. vol. 2. disp. 21. th. 1. lit. A. & Alciat. l. dispunct. c. 1.* & priorem nostram deductionem, magis allusionem, quam veram & grammaticam derivationem esse; nec tamen posteriorem penitus improbandam censeo.

§. III. Quare autem possessio à parte quadam corporis, non verò potius ab animo denominetur, meritò disquiritur. Constat enim rem semper à præstantiori ac principali nomen trahere, *Arg. l. 10. π. de Stat. hom. & l. 44. de Relig. & sumpt. fun.* Jam vero animus non modò immane quantum antecellit corpus; sed etiam semper ad acquirendam ac retinendâ possessionem requiritur *L. 3. §. 1. & 2. π. h. tit.* Quicquid sit, nihilominus tamen puto, propterea possessionem à corpore derivari, quoniam actus corporis certior *Arg. L. 8. §. fin π. Fin. Reg.* & possessioni magis proprius est Neq; etiam de animo hominis aliter constare potest,



potest nisi ex facto aliquo extrinseco; Acquisitio enim possessionis factum corporis præcisè requirit *per L. 3. §. 13. hoc. tit.* Consuli potest Donellus *L. 5. Com. c. 6.*

§. IV. Visâ jam derivatione, erroribus, remotâ ambiguitate hujus vocabuli, via præscindenda. Variè enim id ipsum acceptari ex plurimorum textuum perlectione constat. Primò enim accipitur pro ipsâ proprietate, quæ nihil aliud est, quam dominium *L. 17. de S. P. R. L. 78. de V. S.* Deinde pro detentione sine animo possidendi *L. 1. §. 5. & 8. b. tit.* Tandem pro re possessâ immobili *L. 6. C. de Rei Vind. L. 11. π. de Alien. jud. mut. and. caus. fact.* Sed & aliæ quam plurimæ supersunt hujus vocabuli acceptiones, quas lubens prætermitto, quod uberrimè istas reperire licet apud Dn. D. Hahnium *in Com. ad Wesenb. hoc lit. n. 2.* & Dn. Biccium *in pec. tract. de Poss. duor. pl. un. ejus. rei n. 15.* Nos hic utimur istâ voculâ detentione rei absq; dominio, cum affectu sibi habendi *L. 1. §. 3. l. 3. §. 3. hoc. tit.* Quo etiam respicit Jctus Paulus *in d. L. 1. pr. hoc. tit.* Dum utitur græco vocabulo *κατοχήν* quod græcis idem denotat, ac aliquid animo retinendi tenere. Hac itaq; ratione *nihil Commune habet ipsa. proprietatis sive dominium cum possessione, hæ enim inter se misceri non debent. L. 12. §. 1. L. 52. pr. π. de A. l. A. P.*

§. V. Consideratis nunc iis, quæ ad nominis evolutionem pertinent, ad ipsius rei considerationem pergendum, cujus potissima pars descriptione absolvitur. Hæc autem tantis difficultatibus laborat, ut certi hic aliquid definire, summi judicii esse videatur: præcipuè quod Jctus Javolenus negotium hoc aliquatenus videatur difficile reddere, asserendo, *omnem*
de fi-

definitionem esse periculosam, parum esse enim, ut non sub-
verti posset L. 202. de Reg. Jur. Et quamvis dixerim, per
 definitionem ibidem intelligi decisionem casus, quam
 circumstantiarum varietas reddit periculosam intelli-
 gens; quin tamen & quibusdam definitionibus subtilis-
 simè confingendis non magnam Jcti navare soleant
 operam, non est dubitandum. Et hoc ipsum usu quo-
 que venit nostræ possessionis descriptioni, quæ tam va-
 riè composita quam varia ferè Doctorum extiterint
 existantq; capita. Neq; deesse, qui ob difficilio-
 rem commodi generis inventionem possessionem de-
 finiri posse planè inficientur, testis est *Treut. vol. 2. disp.*
21. th. 1. Lit. A. Interim etsi pleriq; eò absurditatis delabi
 vereantur omninò, quod nec ulla ferè res in rerum na-
 tura esse possit, quæ non aliquà delineari possit descri-
 ptione, in definienda tamen possessione mirificè dis-
 sentiunt. Quicquid sit, laborandum interim, ne mens
 vagabunda oberret, & de rei quidditate nondum instru-
 cta satis, in ejus divisionibus & qualitatibus minus felici-
 ter progredi possit. Certa itaq; & unica ex infinitis
 (quarum *Corasius in Com. ad ff. b. tit. n. 1. quindecim, &*
Hunnus ad Treutl. vol. 2. disp. 21. l. a. ultra centum eseme-
morat) eligenda arripiendaq; , ut habeamus tandem,
 in qua acquiescere possimus. Placet ergò possessionem
 cum *Theophilo Inst. de Interdict. Wesenb. ad π. hoc*
tit. Duareno in com. ad ff. b. tit. c. 1. & aliis, hoc modo de-
 lineare: *Quod sit detentio rei corporalis cum animo sibi*
habendi. Et quamvis aliàs in definiendis rebus Jcti
 Philosophorum regulis semper sese adstrictos, haud
 confiteantur; in commodo tamen possessionis gene-
 re constituendo mirificè hætenus desudarunt.

B

bis

bis *detentionis* arrisit vocabulum, non destituti subtilissimorum quoque; Juris auctoritate & suffragio. At verò ut genus nostrum eò facilius salvare possimus, præmittenda quæstio quædam præjudicialis: *An possessio sit factum an verò Jus.*

§. VI. Equidem si juris meri possessio dicenda, ineptè nostra definitio quoad genus esset formata. Immane quantum enim differunt factum & jus; alterum autem per alterum planè diversum describi non potest. Neque desunt, qui meri juris possessionem esse asserunt, nixi quamplurimis fundamentis. Præcipuè verò quod in jure nostro sæpius apertissimis verbis possessio dicitur jus. Sic Juris Papinianus in *L. 44. d. A. l. A. P.* elegantissimum format casum de peregrè profecturo, qui pecuniam suam custodiæ causa in terrâ recondidit, sed reversus is, loci illius, in quò pecunia condita, oblitus est; quærit eà ratione Juris Consultus, an is desinat pecuniam suam possidere? Reponit dictus Papinianus jus possessionis non esse peremptum. Nec aliud *Alexander Imperator in L. 5. C. de liber. caus.* innuit. Paulò aliter Papinianus mentem suam explicat in *L. 49. §. 1. de A. l. A. P.* possessionem juris esse asserens. Neque rationibus de lituti videntur illius sententiæ propugnatores, præsertim quòd etiam absens possidere dicatur tamdiu, quamdiu habeat facultatem rei actualiter insistenti *L. 3. §. 13. dict. tit. L. 6. §. 1. L. 46. Eod.* Jam verò si possessio definiretur per detentionem, utique absens possidere desineret, cum istas res corporaliter & actu ipso detineat. Adducam verba summi *Habnii ad Wesenb. de A. l. A. P. n. 2.* Neque etiam jure Gent. possessio sola corporali detentione potuit determinari, sed absentem etiam sine
insti-

insistentia, sui aut cuiusq; alterius corporis possessionem
 quæsitam retinuisse verisimile est. Post diluuium enim
 cum terra diuisa fuit, homines lata territoria sibi acquisiue-
 runt, nec tamen ejus singulas partes corporaliter detinue-
 runt, aut detinere potuerunt: neq; potest dici, eos id non
 possedissee, cum corpore id non incubuerunt. Absurdum
 tandem ex contraria sententia pro manare opinantur
 allatæ opinionis defensores; Servum scilicet, jure civili
 non possidere decisum à JCrts nostris in L. 31. §. 2. π. de
 Usurp. & Usucap. L. 38. §. 7. π. de V. O. Cum autem ea,
 quæ facti, in personam servilem optimè cadere dicantur
 in §. 2. Inst. de stip. Ser. Idèd dicendum necesariò
 foret, possessionem non facti, sed juris esse, aliàs & servus
 possidere posset. Hæc itaq; omnia eò videntur colli-
 mare, possessionem jus esse dicendam, & non factum.

§. VII. De cætero reperiuntur quoq; , qv̄i pos-
 sessionem quoad initia productiva, dum scilicet eadem
 in esse deducitur, i. e. acquiritur, facti esse, quoad effe-
 ctus vero, quos producit possessio in esse suum producta
 & acquisita per jus definiendâ esse asserunt. Sed neutrà
 sententiã subtilitati jurisprudentiæ nostræ & rationibus
 convenire non immeritò assero. Judico veriore ill-
 lorum sententiam, qv̄i possessionem facti esse, & in fa-
 cto consistere contendunt. Neq; apertior reperiri po-
 terit textus, nostram corroborans sententiam, eò quò
 in L. 1. §. 3. & 4. π. de A. l. A. P. reperitur. Hinc ex eodem
 fundamento pupillus ac furiosus sine auctoritate Tuto-
 ris & Curatoris possessionem acquirere possunt d. L. 1.
 §. 3. Nec aliud intendit Nerva filius in L. 1. §. 13. d. tit.
 possessionem, quamdiu naturaliter i. e. corporali ap-
 prehensione repeti potest, manere, non ineptè osten-
 dens.

dens. Verum cum remotivè magis, quam positivè in hujus negotii decisione procedendum, exigit operæ pretium, ut possessionem neutiquam jus esse dederim probatum; venditant quippe dissentientes nonnulli id pro genere possessionis.

§. VIII. Etenim si juris & eorum, quæ meri juris reputantur requisita examinare velim, ea ferè omnia hic cesare satis apparebit. Constat quippe ex §. 5. *Inst. 2. mod. pat. pot. Solv.* captos ab hostibus, si reversi fuerint, beneficio postliminii pristina jura recipere. Et ea dubio procul de possessione essent prædicanda, si hæc pro jure mero fortet reputanda. Verum contrarium respondet Papinianus in *L. 19. π. Ex 2. ca. maj. interruptam possessionem postliminio non restitui*, elegantissime ratione subjecta: quia hæc sine possessione non constitit, possessio autè plurimum facti habet, causa verò facti non continetur postliminio. Ex integro potius à reverso possessio adipiscenda, ipsi ut currere possit præscriptio. Parili ratione notum satis juris tyronibus heredem in omne jus defuncti succedere, teste Pomponio in *L. 37. π. de Acqr. hered.* Sed in possessionem defuncti heredem haud succedere indubitati juris judico cum Javoleno in *L. 23. pr. π. de A. l. A. P.* Alia itaq; dispositio juris hic desideranda, si possessio jus sit dicenda. Ea insuper quæ hæcenus de acquisitione & retentione possessionis prolata, etiam de amissione ejusdem asserenda. Jura quippe neminem facto suo nobis auferre posse apparet ex *L. 15. C. de Pignor. L. 39. C. de Neg. gest.* Possessio verò alieno facto eripi potest, subtracta fortè vel furto ablatà remeà *L. 3. §. 18. L. 15. π. de A. l. A. P.* Amittitur quippe possessio sola facultatis, possessionem naturalem nanciscendi,

scendi, amissione. *d. l. 3. §. 13. π. dict. tit.* Ipsæ tandem possidentium personæ abundè testantur, non omnem possidentem jus possidendi tenendiq; habere; nec ex diverso, omnem non possidentem jus possidendi non habere. Certè uxor dicitur possidere rem à marito sibi donatam *in. l. 1. §. 4. π. d. t. l. 1. §. 10. π. de Vi & vi arm. l. 1. in fin. π. Pro donato.* Nihilominus tamen illa jure civili rem illam non possidere dicitur *in l. 26. pr. π. de Donat. int. vir. & uxor.* Quid autem hoc illud importat, quàm quod mulier, etsi possideat, non tamen gaudeat jure possidendi? Ita & quandoq; jus possidendi habent, destituti tamen possessione; id quod exemplo ejus, qui vi dejectus est, declarari facile potest. Is quippe cum de possessione sit dejectus, amplius corporaliter possidere non potest *L. 5. π. de Usurp. & Usuc.* Et tamen ipsum jure possidendi gaudere constat, ex eo, quod ipsi interdictum unde vi competat, quò possessionem recuperare potest *L. 1. π. Unde Vi.* Nisi itaq; jus possidendi illi dejecto competeret, utiq; nec actio eidem tributa. Hæc omnia ob eum finem latius deducere volui, ut deinceps genus nostrum eò tutius defendere possim: Interim satisfaciendum prius argumentis à dissentientium parte prolatis.

§. IX. Dicendum quippe, Papinianum *in l. 44. π. de A. l. A. P.* vel jus possessionis pro ipsâ accipere possessione, vel confugiendum ad superius datam distinctionem inter jus possessionis & ipsam possessionem, quæ quoniam diversissima quandoq; sunt, ea non confundenda esse censeo. Possidere quippe judicio *Donelli l. 5. c. 6.* fuit ex affectu alicujus, jus autem possidendi ex justa causa & bona fide: & probari hæc distin-

B 3

ctio-

Etio haud difficulter potest ex l. 10. in fin. C. dict. tit. Neq;
etiam aliam responsionem expectabit quispiam ad re-
scriptum Alexandri in l. 5. C. de Lib. causa. Minoris mo-
menti putarem argumentum ex l. 49. §. 1. dict. tit. dedu-
ctum, ob vitiosam, quæ ibi latet, consequentiam: Pos-
sessio dicitur juris, Ergò est jus. Dicitur quoq; ibidem
corporis, Ergò est corpus. Concedo Papiniano in pr.
d. l. 49. possessionem plurimum ex jure mutuari, sed in-
de non evincunt dissentientes possessionem esse jus.
Contrarium potius inde concludi posse putarem, pos-
sessionem nempe quoniam per se non est jus, in facto
potius consistere. Nec sequitur, inquit Hilliger, ad Do-
nell. lib. 5. c. 6. lit. C. ex P. Gregor. 1. s. yut. 13. n. 6. Alciat. de s. ped.
prescript. n. 95. seqq. & ad l. 1. hoc. lit. n. 25. & seq. ex pos-
sessione juris jus nascitur, Eg. ipsa jus est. Nam & ex con-
tractibus oritur obligatio, ac tritum est, ex facto jus oriri.

§. X. Majoris ponderis videri posset Hahnii sen-
tentia superius allegata: Putarem tamen absentem il-
lam ipsam possessionem retinerè, quæ ante fuit: hæc
verò consistebat in facto & detentione. Etsi itaq; ab-
sens naturâ & reverâ rem non teneat corpore, juris ta-
men interpretatione corpore Possidere dicitur. Quod
ita intelligendum, jus scil. absentem, qui animo retinet
possessionem perinde habere, ac si corporaliter adhuc
rei insisteret. Unde hic ipse tenendi modus jure con-
sistere dicitur in l. 10. C. dict. tit. Donell. lib. 5. c. 6. Tandem
nec argumentatio de servo superiq; concepta nobis ob-
stare potest. Neq; enim unquam negavi, possessionem esse
juris, sed potius dico possessionem præcipuè in facto &
corporis apprehensione consistere, interim tamen ple-
rumq;

rumq; aliquid juris ei accedere, uti colligi potest ex *l. 19. π. Ex 2. caus. maj.* Possessio enim plerumq; facti habet, plurimum tamen ex jure mutuatur secundum *l. 49. pr. de A. l. A. P.* Deinceps non minori, alteram, quam superius adduxi, sententiam laborare absurditate, ac hactenus refutatam putarem. Inducit quippe ineptam, & ipsi rei naturæ repugnantem mutationem, quod possessioni, postquam acquisita, diversam penitus attribuat naturam, quam ea habebat, dum acquiratur. Non secus ita asserentes argumentari videntur, ac si statuam, dum erigitur, æneam esse postquam verò erecta, argenteam fieri asserere audeant. Ita enim diversæ species judicio *Hilligeri ad Donell. l. 5. c. 6. l. d.* perhibentur jus & factum, ut æs & aurum. Nostris insuper legibus adductam sententiam minus conformem judico, quod illæ dum possessionem facti esse dicunt, non considerent eam ut acquirendam, sed potius ejus jamtum acquisitæ essentiam. Nec alia *Ulpiani in l. 29. π. de A. l. A. P.* videtur esse sententia, quæ possessionem, quæ amittitur, & ideò eadem in esse suum jam producta esse debebat, facti esse docet.

§. XI. Decisa hactenus præjudiciali quæstione, genus nostrum ut nobiscum defendat, induci quivis de facili poterit. Præsertim quod *Paulus in l. 1. π. de A. l. A. P.* utatur voce *καταχρηστικῶς*, quæ in nativa sua & propria significatione detentionem denotat. Unde & in quam plurimis juris nostri locis verè possidens tenere aut detinere dicitur *l. 1. §. 3. π. d. tit. l. 15. §. 3. π. Ex 2. caus. maj. l. 44. §. 2. de A. l. A. P.* Et si requisita alicujus generis commodi hic percurrere operæ pretium exigeret, utiq; nec ullum in nostro genere quisquam desiderare poterit.

Mirari

Mirari itaq; subit, reperiri aliquos, qui hoc genus ut strictius suo definito & imbecillius esse asserunt. Sed refutati jamdiu illi ipsi abundè à subtilissimo *Bachovio ad Treutl. vol. 2. disp. 21. tb. 1. lit. C.* Nonne enim verbum detentionis latius patet, verbò possessionis? Nonne quamplurimi detinent rem, qui tamen neuiquam possident, nec animum possidendi habent? Aliam quæso petant informationem à *Ctisin l. 3. §. 2. π. de Tab. Exsibi. l. 45. §. 1. π. de Usurp. & Usuc. l. 49. §. 1. π. de A. l. A. P. l. 38. §. 8. π. de V. O.* Reliqua verba in definitione nostra posita differentiaæ suppleunt locum, quam desumptam asserim⁹ partim ab objecto, partim à forma. Sicut igitur rerum corporalium tantum asseveravi dominium esse, ista & possessionis objectum tantum res corporales esse statuere necessum habeo. Interim non inficior, dari quosdam, qui & res incorporales possideri frustraneo ausu dicant, inter quos non ultimus locus assignandus ipsi *Valent. Riemer. dec. quæst. jur. dec. 4. q. 1.* Neq; enim in dubium quis facilè vocabit, incorporalia tradi & apprehendi posse, ut ex *l. 3. §. 2. π. de Act. Empt. l. 3. pr. de Usufr. §. ult. Inst. de S. P. U.* abundè apparet, servitutes legari, vendi & aliis modis transferri posse. Et ex his inducere quis posset, cum apprehensio omnis & translatio rebus incorporalibus denegari nequeat, nec possessionem penitus iisdem subtrahendam: Præcipuè quod servitutes exemplo rerum immobilium præscribi possint *l. 2. c. de Servit. & aq.* At verò ad omnem præscriptionem possessionem requiri neminem, qui prima saltem juris elementa hausit, latere potest.

§. XII. Gravius negotium facescere potest, *Ulpianus in l. 1. §. 8. π. Quod legat. Neq; usus fructus ingens, neq;*

neq; usus possidetur, sed magis tenetur. Hic Giphanius
in lectur. Aldorph. ad. l. 3. n. 6. tenere magis corporale
 esse & facti, quàm possidere opinatur. Verum non
 opus, ut de hisce conjecturationibus solliciti simus, aper-
 tissima Jctorum ad manus habemus verba *in l. 49. §. 1.*
π. de A. l. A. P. Possessio non tantum corporis inquit Papinia-
nus, sed & juris est. Nec dissentit Jctus *in l. 2. §. fin. π.*
de Precar. Nolim enim ego huic ineptæ & minus subtili
 sententiæ calculum addere, pragnantes potius pro par-
 te negantium militare rationes arbitror. Rerum incor-
 poralium non dari dominium alii latius explicare so-
 lent, multò magis itaq; possessionem circa res incor-
 porales quoq; occupatam esse foret negandum; posses-
 sio enim supponit corporalem detentionem seu apprehen-
 sionem, quæ sanè in rebus incorporalibus neuti-
 quam locum habet, quippe quæ nec tangi nec videri aut
 aliis sensibus externis deprehendi possunt. Unde Ca-
 jus *in l. 43. §. 1. π. de A. R. D.* incorporales res traditionem
 non recipere asserit. Et quænam alia olim Legis 12.
 Tab. judicanda ratio, quod servitutes usu capi non po-
 terant, quam quod illæ fuerint incorporales, eò quippe
 expressè respicit dictus Jctus *in allata l. 43. §. 1. idem,*
 quod ed traditione, & de usucapione proponens. Et for-
 tassis eadem quoq; Jcti dicenda ratio, quod usucapio
 sine possessione non processerit; res autem incorpo-
 rales non possidentur. Verum quid opus, ut labore-
 mo impensiori opera de istiusmodi argumentis ad cor-
 roboracionem sententiæ nostræ inducentibus, Con-
 fugiamus modò ad ipsos jurisprudentiæ nostræ fontes, &
 hauriamus inde apertissimum Jctorum assensum, Pau-
 lus certè *in l. 3. pr. π. d. t.* ea possideri posse, quæ sunt

C

cor-

corporalia, asserit. Promptum ergo hic ad manus argumentum à contrario ducendum, quod, nisi absurditas inde metuenda, aut aliæ contradicant leges, omnino in jure nostro procedere dicitur. Si corporalia possideri possunt, sequitur quod incorporalia possideri nequeant. At verò sublevanda imbecillitas hujus argumenti aliquorum fortè judicio suborta expressiori Javoleni sententiâ in *L. ult. de Serv.* Negat quippe ullam juris vacuam traditionem esse posse, sed potius usum juris pro traditione possessionis accipiendum esse. Nec minus notatu digna verba in *fin. d. l.* posita: *Ideoq; & interdicta veluti possessoria constituta sunt.* Hic particulam *veluti* similitudinis & improprietas notam esse arbitror, inductus, quod & in aliis juris nostri articulis frequenter id accipiat. Et hinc in *L. 18. §. 1. π. de Hered. pet.* possessorem juris Ulpianus appellat veluti possessorem.

§. XIII. Nolo hic omnia Jctorum suffragia coarcescere, quibus rerum incorporalium possessioni semper præficiunt particulam *quasi*. Sufficiat hic allegasse *l. 23. §. 2. π. Ex Quib. ca. maj. l. 3. §. 17. π. de Vi & vi arm. l. 10. π. Si Servit. vind. pr. Inst. de Interd.* Decisum autem hæcenus in Jctorum scholis, particulam *quasi* ut plurimum, & præcipuè in præsentis possessionis materia, improprietas importare. Et sic ambabus manibus largiri possum dissentientibus, aliquam quasi apprehensionem, quasi traditionem, & sic etiam quasi possessionem quam in usu & patientia consistere opinor, præcipuè, ubi de præscriptione rerum incorporalium incidat quæstio. Ulpiani tandem intricatâ locutionem superius *ex l. 1. §. 8. π. Quod Legat.* adductam nostræ sententiæ minimè contrariari dicendum. Neq; enim

enim improbabilis illa censenda conjectura, quã tenere idem, quod quasi possidere asseruerim, quod sibi invicem directò opponantur, possidere & tenere; præcipuè, quod alios textus juris nostri usufructui quasi possessionem adscribere superius abundè probatum dederim.

§. XIV. Tandem & forma specifica possessionis in secundâ definitionis nostræ parte ponderanda, ut insignem præsentis juris in re à reliquis hujus speciebus differentiam eò facilius intellectui subicere valeam. Non sufficit ad possessionem propriè sic dictam qualibet detentio cum quocunq; tenendi affectu conjuncta, ne aliàs multos constituamus possessores, qui tamen ex dispositione legum civilium haud propriè possidere dicuntur. Sicut autem diversa longè censentur servum esse, & in servitute esse, ita quoq; distinctissima judicarem cum Jcto Ulpiano *in l. 10. §. 1. π. de A. l. A. P.* in possessione esse & possidere. Ita missis jussu magistratus in possessionem rei servandæ, utpote legatorum servandorum, damni infecti causa non possessionem, sed custodiam rerum & observationem adscribit Paulus *in l. 3. §. 23. π. d. t.* Nec aliud ferendum judicium de aliis, non suo, sed alieno nomine rem quandam detinentibus. Colonus certè & Inquilinus, dum pro certa mercede rem aliquam conduxerunt, non possunt rem illam detinere animo sibi habendi; & ideò illi nec vivo nec mortuo Domino possessionem habere perhibentur *in l. 33. π. de Usurp. & Usuc.* Idem & de procuratoribus, curatoribus, tutoribus, aliisq; negotiorum alienorum administratoribus asserendum. Licet enim per eos possessionem nobis acquirere possimus; suo ta-

men nomine si nancisci velint possessionem, iis ea ipsa non acquiritur *l. 1. §. 20. l. 18. pr. π. de A. l. A. P.* Accuratus igitur istiusmodi personæ tenere & detinere dicuntur, secundū *L. 9. π. de R. V.* Unde superius detentionē latius patere possessione diduxi. Interim sententiæ *Donelli* & *Hilligeri ad eundem l. 5. c. 6. lit. L.* *Trentleri* & *Bachovii ad eundem vol. 2. disp. 21. th. 1. lit. E.* aliorumq; non subscripserim, quā animum affectumq; domini possidentem præditum esse debere præcisè requirunt. Ita quippe, multis denegare possessionem necesse haberem, quibus tamen eadem à jure nostro multis in locis tributa reperitur; prouti inferius latius probaturus sum. Accuratus procedunt *Magnif. Dn. Habn. ad Wesenb. d. A. l. A. P. n. 1.* & *Zoef. ad Com. Digest. eod. tit. n. 1.* ejusmodi detentionem possessionis naturam absolvere asserentes, quæ conjuncta cum animo sibi habendi. Quæ posteriora duo vocabula generaliter concepta omnibus propriè sic dictis possessoribus applicari possunt.

§. XV. Porro inquirendum nunc erit in ipsam divisionem. Possessio enim communilegum atq; Jctorum consensu duplex constituitur, aliam enim esse civilem, aliam naturalem testantur *L. scil. 3. §. ult. π. Ad Exhib. l. 1. §. 9. π. de Vi & vi Arm. l. 2. §. 1. & 2. π. Pro hered. l. 38. §. 7. & 8. de V. O. l. 7. §. 11. π. Com. div. & aliæ quamplurimæ leges. Hancq; probant *Zoësius in Com. ad π. de A. l. A. P. n. 3. seq.* *Bachovius ad Trentl. vol. 2. disp. 21. th. 1. l. F.* *Duarenus in Com. ad Dig. dict. tit. Biccus in tract. de Poss. duor. pl. un. ejus. rei. quest. 4.* Quamplurimi verò putant civilem possessionem justam & bonæ fidei esse, naturalem verò injustam ac malæ fidei uti *Wesenb. in Parat. tit. scil. de A. l. A. P. n. 3. Trentl. in disp. ad pand.**

pand. disp. 21. tbes. 1. Donell. 5. com. 7. hanc sententiam probant, quoniam possessio *in l. 3. §. 22. de A. l. A. P.* in bonæ & malæ fidei possessionem *in l. 3. §. 5. dict. tit.* injustam ac injustam *in l. 1. §. 9. π. de Vi & vi arm.* in civilem & naturalem dividatur, hinc harum divisionum sententiam pro unâ eademq; esse habendam, cum etiam *in l. 31. §. 2. π. de Petit. hered.* Justus possessor dicatur is, qui bonæ fidei possessor est. Sed rectissimè animadvertit Bachov. supra cit. loc. non sequi aliquando possessio malæ fidei injusta certo respectu dicitur; Ergò omnis malæ fidei possessio injusta est, sed potius, ipsum bonæ fidei possessorem longè differre à justo *per l. sc. 48. §. 1. de A. R. D. Ubi is, cui aliqua res tradita est, putat, illam rem vendentis fuisse deinde verò cognoscat alienam esse, tunc enim incipit mala fides & perseverat per longum tempus capio, & ita nec jus illius possessionis desinit, nec ille justus possessor est.* Potius malæ fidei possessio relatione habita ad eam possessionem, quæ ad ufucapiendum habilis judicatur, injusta reputatur. Prouti ex diverso possessio rei à conjugè donatæ ob defectum tituli, prohibitâ inter virum & uxorem donatione, injusta perhibetur, neq; tamen malæ fidei censenda, quod voluntas conjugis donantis conscientiam possidentis reddat illam. Et quamvis fortè contingere possit, possessionem naturalem injustam esse, inde tamen non conficietur, eam perpetuò injustam judicandam, uti nec omnem justam civilem censendam. Ut enim justè & bonâ fide quis possideat, ab animo dependet, & ideò facti est, an quæ sit conscientiam habeat, nec in juris auctoritate id positum censetur. Neq; etiam titulus & bona vel mala fides ingrediuntur essentiam possessionis, ut inde

differentia specifica desumi possit. Dicendum potius, dictas qualitates non distingvere possessionem ut sic sed saltem possessionem in specie civilem, relatione ad usucapionem institutâ. Neque absurdum, illas qualitates contrarias diverso tempore in unam eandemque possessionem cadere posse, neque eam inde immutari.

§. XVI. Non dicam de Creditore & precario rogante, qui etsi propriè loquendo nec bonâ nec malâ fide possideant, eorum tamen possessio justa dicitur *in l. 22, §. 1. w. de Noxal. Act.* Et hinc *Paulus in l. 3. §. 5. π. de t. A. l. A. P.* in summa possessionis non multum interesse, justè quis an injustè possideat, asserit. Neutiquam igitur distinctiones illæ satis distinctæ possessionis justæ ac injustæ, bonæ & malæ fidei cum possessione civili ac naturali confundendæ, sed quam maximè discernendæ. Paulò secus hæc vocabula explicant nonnulli, possessionem injustâ naturalem vocari prætendentes, quod, quoties ea ipsa justa est, à lege etiam sit approbata, ut ita novam quasi assumat qualitatem, dum naturalis immutatur in civilem. Atverò approbatio illa vix novam possessionis constituere valebit speciem, accidit quippe possessioni in esse jam tum deductæ, quod à jure civili ea approbata. Sed hæc ex hypothesi saltem dissentientium propono, aliàs possessio naturalis æqvè ac civilis juris civilis munita robore. Verum non opus judico, frustraneâ operâ alias quamplures hujus divisionis explicationes adducere; missis potius iisdem omni confusione viam præscindere & ambiguitatem illarum vocum remove placet. Et primo quidem deprehendo naturalem possessionem

nem

nem quam varie à Jctis nostris acceptari, ut inde tot tamq; diversas sententias manasse non improbabiler censere possem. Non rarò igitur possessio naturalis acceptatur in latiori & improprio sensu, quatenus omnes illi, qui rem aliquam corporaliter tenent, seu suo seu alieno nomine. *Nobilis. Dn. Ludwel. ad Inst. de Interd. §. 8.* Et ita Coloni & depositarii naturaliter possidere perhibentur *in L. 7. §. 11. π. Com. div. L. 2. §. 1. π. Pro hered. L. 38. §. 7. π. de V. O.* cum tamen ex apertissimis juris nostri textibus constet, eos non possidere, sed in possessione esse, prouti superius quoq; hæc distinctio formata *ex §. 5. Inst. de Interd. l. 6. §. 1. π. de Præcar.* Deinde & corporaliter rei insistentes per quandam metonymiam naturaliter possidere dicuntur *L. 1. pr. l. 23. pr. d. t.* Sed & ipse dominus naturaliter quandoq; possidere dicitur *Arg. l. 1. π. de A. R. D.* Quò fortè spectare videtur illa sapius aliata Pauli sententia *in l. 1. π. de A. l. A. P. | Dominium ex naturali possessione cepisse.* Tandem proprio significatui hic locus concedendus, quando aliquis non animo domini possidet, sed alio jure sibi habendi. Et ita definitur naturalis possessio, *Quod sit detentio rei, ex alio jure in re quam dominio, sibi habendi.* Sic creditor cui pignus traditum est, non eò animò possidet illud, ut credat se dominum esse *L. 13. §. 1. de Publ. in rem act. & L. 40. §. fin. de Pignor. act.* Eadem quoq; ratione usufructuarium naturaliter possidere dixerim. *L. 12. π. de A. l. A. P.* Atq; ita in hæc significatione acceperim naturalem possessionem.

§. XVII. Civilis quoq; possessio tanta acceptionis varietate laborat, quanta naturalis. Appellatur scil. non rarò civilis possessio illa, quæ à jure civili
rere-

23 C.
recepta & approbata. Fundata videtur illa hujus vo-
cis usurpatio *in l. 24. π. b. t.* Ubi servus peculium non
civiliter possidere, sed naturaliter tantum tenere pot-
est, quoniam servus jure civili pro nullo habetur *L. 32.
π. de R. J.* Sed & alia acceptio proponi videtur *in L. 10.
C. d. tit.* quæ plurimos Doctores adeo seduxit, ut natu-
ralem possessionem illam dicant, quæ corpore & præ-
sentia habetur, civilem verò quæ animo. Verum ac-
curatissimè illi jam diu sunt refutati ab Hillig. ad Do-
nell. *L. 5. c. 9. lit. D. & Connano com. Jur. Civ. L. 3. c. 10.
n. 4.* Ad quos remittendus lector benevolus. Deniq;
in propria ac usitatissimâ suâ significatione ego dixerim
possessionem civilem, quæ aliquis rem detinet affe-
ctione opinionèq; domini; Et huic sententiæ quam-
plurimi suffragantur Doctores; *Hilliger. ad Donell. l. 5.
c. 9. lit. f. in fin. Cujac. 27. obs. 7. Et in parat. C. de A. l. A.
P: Magnif. Dn. Habn. ad Wesenb. d. t. n. 3. verb. Et alio
sensit.*

§. XVIII. Explicatis nunc iis, quæ ipsius hujus
matris nostræ essentialia absolvunt, ulterius inqvi-
rendum in modos acquirendi possessionem. *Acqui-
ritur autē possessio corpore & animo simul, nec per se corpo-
re aut animo L. 3. §. 1. de A. l. A. P. l. 5 π. Eod. §. 5. Inst. de
Interd. L. 153. π. de R. J.* Applicandum hic exemplum
Justiniani *in § 13. Inst. de Rer. div. Ubi fera bestia non
aliter tua esse censetur, quam si eam ceperis, multa enim
accidere solent, ut eam non capias.* Abeant hinc illi, qui
putant ad possessionem naturalem tam animum quam
etiam corpus requiri, ad possessionem verò civilem
tantum animum, hancq; suam sententiam probant
per l. 3. C. de A. l. R. P. Sed satis hæc sententia refellitur
à texti-

à textibus jam citatis, cum leges istæ satis generaliter loquantur; Textum vero istum adductum loqui putarem, vel, de infante ejusmodi, qui jam dum ejus ætatis est, ut intellectum habeat. *L. 32. §. 2. Eod.* tunc enim tutoris auctoritas intervenire necesse non est *Zoës. ad Digest. d. tit. n. 8.* vel de tutore istum defectum animi supplente, *Ulti Facin. 8. Contr. c. 19.* disserit. Hanc quoque probat Dn. Mejerus in *Coll. Argent. Tom. post. tit. de A. l. A. P. n. 14.* inquit. *Sic enim infans acquirit possessionem corpore suo, animo vero tutoris.* Accuratus fortè dicta lex 3. explicata à Donellò *Lib. 5. c. 11. lit. D.* partim, quod lex illa ex *L. 32. §. ult.* sit supplenda, partim, quod tutor in illà lege non videatur exclusus, prouti ex variis conjecturis à verbis in lege illà positis desumptis latius probat Donell. d. t.

§. XIX. Animus itaque cum præcisè requiratur in possessionis acquisitione, excluduntur ab eâ, quorum nulla voluntas, ut furiosi, secundum *L. 40. π. de R. J.* & dormientes *L. 1. §. 3. π. de A. l. A. P.* Nec minus illi, qui fundum quidem ingressi, sed non eò animò, ut possideant, licet corpore in fundo sint, quales censentur, qui jure familiaritatis fundum amici ingrediuntur *L. 41. π. d. t.* Unde etiam ex dictis fluit, possessionem per alium non nisi volenti acquiri posse *L. 53. π. de A. R. D.* Quandoque tamen & ignorantibus per procuratorem possessio acquiri potest *L. 49. §. ult. π. de A. l. A. P.* Sed ignorantes non statim sunt nolentes; Præsumitur quippe eos in re aliqua acquirenda sine dubio consensuros esse. Nec aliud dicendum de Tutoribus & curatoribus. Quàm quod illi, dum Dominorum loco

D

vide-

videantur esse, etiam minorennibus omnino possessionem acquirere possint. *L. 1. §. 2. π. d. tit.*

§. XX. Tandem & corpus ad acquisitionem possessionis requiri antea dictum. Neq; tamen perpetuò requiritur, ut corporaliter apprehendam rem i. e. si mobilis, de loco in locum moveam, sin verò immobilis solum ingrediar *L. 3. §. 1. & 3. π. d. tit.* Sed id præter animum desideratur, ut actus aliquis corporalis interveniat, qui non semper naturalis esse debet, sed sufficit aliquando adscititius & aliud aliquod æquivalens interveniat, quod loco ipsius corporalis apprehensionis est. Ut, si quis rei præsentis & demonstratæ vacuum possessionem se tradere dicat *L. 1. §. pen. L. 18. §. 2. π. d. t.* Hic, etsi manibus aut pedibus possessionem non adipiscar, ac viro tamen eam aspectu, qui etiam sensus corporeus est. Adessent quamplurima istiusmodi acquisitionis possessionis exempla, sed cum verear, ne paginae præsentis nimium excrescant, remitto desiderantem lectorem ad *Donell. Lib. 5. c. 9. Magnif. Dn. Hahn. ad Wesenb. d. t. n. 3. verb. Utrumq; enim & c.* Illud adhuc subjiciendum esse puto, nonnullos Doctores, qui varias ex juris nostri textibus adducunt exceptiones, quibus ipsorum iudicio solo animo possessio acquiratur. Sed accuratissimè illos refutatos videre licet apud *Dn. Boehov. ad Treutl. vol. 2. disp. 21. th. 2. L. H.*

§. XXI. Retinere verò quis possessionem non tantum animo & corpore simul, sed etiam solo animo ostendit *L. 3. §. 7. & 11. L. 6. §. 1. l. 25. §. 2. de A. l. A. P. & §. 5. Inst. de Interdict.* Imò etiam animo nostro & corpore

pore alieno *L. 9. dict. tit. l. 35. de A. R. D. Donell 5. Com. 13.*
 Possessionem enim jamdum acquisitam factum non semper debet accedere. Retinetur verò possessio solo animo, non tantum, si illa res vacua maneat, sed etiam si forsitan acciderit, ut aliquis vel nescientibus nobis, vel scientibus rem nostram occupaverit, tunc enim sufficit, ut existimemus, vel illum ipsum occupantem iterum rem illam nobis esse cesurum, vel etiam nos illum de possessione facile dejicere posse *L. 25. §. fin. de A. l. A. P.*
 Hinc sequitur, non necesse esse, ut rei nostræ per singulas horas insistamus. Nimis itaq; extendunt retentionem possessionis, qua solò animo fit, ut, licet planè deficiat facultas rem corporaliter apprehendendi, nihilominus tamen animo retineri possessionem asserant. Hoc enim non facile admittendum, non ultra potius retineri animo possessionem jam tum probavi, quam si supersit facultas rem corporaliter apprehendendi, aut si aliquis jure eam sibi superesse existimet. Facilius tamen rerum mobilium quam immobilium possessionem perire, constat ex *L. 3. §. 13. l. 13. pr. §. l. 47. π. d. tit.* Vide Bachov. ad Treutl. *vol. 2, disp. 21. tb. 4. lit. B. & C.*

§. XXII. Nihil sanè in jure nostrò tanta firmitate ac perpetuitate gaudet, ut non dissolutioni ac mutationi aliquando sit obnoxium, quod etiam Jctus Ulpianus in *L. 35. π. de R. J.* testatur. *Nihil iam naturale esse, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est.* Dicta etiam hic applicare optimè possumus: Ut enim ipsa possessio acquiratur corpore & animo simul, ita quoque eodem modo dissolvitur, tam scil. animo,
 D 2 quam

quam etiam corpore. Huic sententiæ non saltem
subscribit ipse Paulus in *L. 8. π. de A. vel A. P.*, asse-
rens. *Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo
& corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in quautrumq;
actum est & L. 153. de R. J.* Sed etiam Cajus in *L. 100.
Eod. & Pomponius in L. 80. de Solut. & lib.* At verò
dubiam hanc rem ipse Paulus in *L. 3. §. 6.* & Ulpianus
in *L. 17. §. 1. de A. vel A. P.* reddunt in verbis: *interim,
amitti & animo solo potest, quamvis acquiri non potest.*
In conciliandis autem his textibus ipsi Interpretes Ju-
ris nostri variis modis solliciti sunt. Non defenden-
da hoc loco erronea illorum opinio, qui putant, ipsum
JCTā Paulum oblitum fuisse prioris assercionis, cum ita
negaret quod antea in *L. 3. §. 6.* asseruerit, atq; sic ob com-
missum tantum errorem ipsum JCTum emendatione,
atq;ve correctione dignum esse, dum immutant lite-
ram atq; anteponant vocabulum *Non*, quoniam ad tex-
tum correctionem non facilè sit descendendum; præ-
primis cum etiam aliæ leges consentiant. Et si vel
maximè ipse Paulus sit corrigendus, attamen reliquæ
leges firmo starent talo, cum istæ ob generalitatem
suam nullam patiantur emendationem. Hinc potius
asserendum, illam regulam non semper procedere.
Possessio animo & corpore simul adipiscitur, Ergò et-
iam eodem modò dissolvitur. Nulla enim regula tam
firma est, quæ non patitur aliquam exceptionem. Sic
quoq;ve matrimonium etsi communi consensu sit con-
tractum, non tamen eodem iterum modo solvitur.
Olim autem aliud receptum fuisse testis est Imperator
Anastasius in *L. 9. C. de Repud.* Et ita cum Dn. Philip.
Mathæi

Matthæi statuendum esse censeo, Regulariter quidem possessionem animo & corpore simul amitti: sed tamen fieri posse, ut solo animo etiam illa amittatur: Veluti si quis hybernos vel æstivos saltus eo tempore, quo corpore illos non detinet, nolle se possidere constituat, solo animo possessionem amittit, quoniam & possessionem illorum solo animo retinet eo tempore, quo saltibus istis corpore non incumbit Arg. L. 3. §. saltus & A. C. de Acq. & R. P. quod etiam Contius sentire videtur in c. 9. L. 1. disp. ab ipso Matthæi citato. Plures alias & diversas longè sententias Lector benevolus videre potest apud Donell. lib. 5. c. 13. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 21. lit. G. Nobilis. Dn. Hahn. ad Wesenb. de A. vel. A. P. n. 3. verb. sicut in amittenda.

§. XXIII. Modus verò de Jure Civ. possessionem amittendi potissimus videtur ipsa alienatio, quoniam rem meam pro lubitu possum alienare. Hinc etiam describitur in L. 1. C. de Fund. dot. Quod sit omnis actus, per quem dominium, transfertur. Species verò alienationis præcipua est traditio, quæ hic quoad possessionis amissionem in considerationem trahenda. Tradens igitur rem quamdam alteri eâ intentione, quod velit possessionem illius rei in alterum transferre, sine dubio amittit possessionem. Nec eò quidem attentò, an ita quis tradiderit rem, ut ea mihi restituatur, ut etiam in accipientem, furiosum fortè, non transferatur, amitto possessionem rei istius secundum L. 17. in fin. l. 18. §. 1. π. de A. l. A. P. Sufficere enim, putarunt Legislatores, ad possessionis amissionem, tradentem transferre voluisse, seu dominium simul, seu possessionem tan-

D ; tum,



tum, ut de Creditore & precario rogante constat. Secus omninò res comparata, si aliquis tradiderit rem non animo transferendi possessionem, sed retinendi potius, quibus res tradita, ut si commodaverim, locaverim, deposuerim re- quendam, imò & sequestraverim *L. 39. d. t.* Quippe sequestratio species depositi reputatur, ut adeò quod de genere dictum, & de specie sit asserendum nisi, ut sequester possideat, actum fuerit. *L. 17. §. 1. π. depositi. l. 110. π. de V. S.* Atverò trahenda hic ad partes vulgatissima traditionis divisio, quã alia vera, alia ficta perhibetur. Vera fit vel in certam personam, vel in incertam. In personam certam fit contractibus, tam consensualibus, ut emptione, venditione, &c. quam etiam realibus, ut mutuo &c. *tot. tit. π. de Contr. Empt. §. 2. Inst. de Donat. §. 1. Inst. Quib. mod. re cont. obl.* In personam verò incertam facta dicitur jactatio in vulgus & derelictio *§. 46. & 47. Inst. de Rer. div. §. 1. π. Pro derel.* Prætores enim & Consules etiam, cum misilia jactabant in vulgus ignorabant, quod eorum quisque sit excepturus, & tamen, quia volebant, quod quisque acceperit, ejus esse: statim in accipientem Dominium juxta ac possessionem transferebant. *§. 45. d. t.* Idem asserit Imperator in *§. 46. eod. de rebus pro de relicto habitis.*

§. XXIV. Traditio tandem ficta variis contingere potest modis, qui partim superius recensiti, partim hinc inde apud Doctores quàm plurimis extant explicati; Ideò eos hic enarrare meritò supersedeo. Illud interim adhuc notare velim, dari alienationem possessionis fictam in patientia res ab alio præscribi,

-CON

consistente. Nam alienationis verbum etiam usucapionem continet. Vix est enim, ut non videntur alienare, qui patitur usucapi. Eum quoque alienare dicitur qui non utendo amisit servitutem asserit J Ctus Paulus in L. 25. π. de V. S. Nec possum silentio præterire egregium illum possessionis amittendæ modum, illationem scilicet mortui factam in eum locum, quem possidebamus L. 30. §. 1. π. de A. l. A. P. Elegantissima in illa lege decisionis hujus subjicitur ratio: *Namque locum religiosum aut sacrum non possumus possidere.* Sed & subtile amissionis exemplum videbit Lector in L. pen. π. Pro donat. Non dicam hic de constituto possessoriò (quo de agitur in L. 18. D. de A. vel A. P.) subtili satis materiâ, remitto idem Lectorem ad Dn. Habn. ad Wesenb. cit. superius loco.

§. XXV. Effectus denique seu finis potius possessionis hic ulteriori subjiciendus ventilationi. Operatur igitur possessio id potissimum, ut res possessa usui nostro & humanis necessitatibus inserviant L. 3. §. 21. de Act. Empt. & Vend. Hinc re jam dum possessa possumuti, abuti, donare, locare, vendere aut pignoris loco dare, libereque de istaque disponere l. 11. π. de Vi & vi Arm. l. 3. §. 2. usque ad 9. π. Uti Possid. Atverò, priusquam effectus hujus materiæ in specie considerandos aggrediar, pertractanda primum venit illa quaestio: *An duo pluresve in solidum rem eandem possidere possint?* Et quamvis aliis affirmativa placeat, dum variis modis ista vocabula divisionis explicant, nihilominus negativa mihi verior videtur, moto scilicet l. 3. §. 5. de A. l. A. P. l. 5. §. ult. π. Commod. & l. 19. pr. de Prec. Dicit nempe J Ctus Paulus in d. l. 3. §. 5.

§.5. Ex contrario plures eandem rem in solidum (h. e. totam rem) possidere non possunt. Contra naturam quippe est, utrum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris, subicit, non magis possessio eadem apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo du sedere videaris. Paulus enim primum dixit, neminem posse ex plurimis causis, sed ex una tantum possidere, nunc quoque ex eadem causa hanc subicit, duos pluresve non posse ex eodem possessionis genere in solidum possidere. Sicut enim nec duo domini totam rem simul possidere possunt l.5. §.ult. π. Commod. Quæ regula procedit de uno eodemque dominio genere, de diverso tamen domini genere duo domini unius rei optimè esse possunt. Ut si forsitan aliquis actu sit dominus, alter verò spe, uti tale exemplum traditur in §.30. Inst. de Rer. div. Idem etiam, quod de dominio jam dictum, de possessione asserendum. Natura quippe repugnat, si ego quandam rem in solidum possiderem, alius quoque illam rem in solidum tenere possit. Utriusque potius possessio eò casu non in re tota sed partiali tantum consistet detentione. Et sive à corpore, sive ab animo possessionem aestimare velim, duo rem eandem in solidum possidere nequeunt: Non corpore; quod luce clarius: Non animo: quod animus unius totum complectatur & ideò alterius possessioni locus denegetur, & sicuti possessionem animo & corpore simul acquirimus, ita eandem per quandam representationem retinemus quoque animo totam. Neque tamen huic sententiæ obicem ponit Ulpianus in l.3. pr. π. Uti possid. Disputat quippe Iustus ex hypothesi, quid

389

quid positā illā sententiā non autem concessā sit even-
turum. Imò etiam illud absurdum ex sententia illa
evuere intendit, quod si forsitan contigerit, quod duo
in solidum possideant, alter justè, alter verò injustè
(constat enim, quod nec duæ justæ possessiones, nec duæ
injustæ concurrere possint *L. 19. pr. de Precar.*) tunc plus
rimum interesse, utrum aliquis justè possideat an verò
injuste, nam si unus justè possideret, alter simul justè
possidere non posset, si verò unus justè alter injustè pos-
sidere vellet, tunc ista possessio procederet, aut fortè
secundum opinionem tenentium absurdum non erit,
duos rem unam in solidum possidere, potissimum in
interdicto uti possid. (ex quo titulo sumpta est d. l. 3.)
ubi qualiscunqve possessio sufficit l. 2. D. uti possi-
ded.

§. XXVI. Neq; quoq; *L. 15. §. 4. π. de Prec.* hic locum in-
venire poterit, ubi Jctus Pomponius dicit eos qui precario
rogaverint, ut sibi possidere liceat, nancisci possessionem non
est dubium, subjicit postea novam aliquam quæstionem,
*An is quoq; possideat, qui rogatus sit, dubitatum est? Placet
autem penes utrumq; esse eum hominem, qui precario da-
tus esset: penes eum qui rogasset, quia corpore possideat:
penes dominum qui non discesserit animo possidendi. Re-
ctè enim dicit, penes utrumq; esse, quod est quodammo-
do tantum possidere *L. 63. π. de V. S.* Hinc illi ipsi &
precario rogatus & precario rogatus æqualiter possi-
dent, non verò in solidum, duo enim nisi in possessionem
æqualiter missi esse censentur, non verò in solidum *L. 15. §. 18.
π. de Dam. inf.* Quod etiam Jctus Ulpianus in *L. ult.
π. uti. Possid.* asserere videtur, ubi illud interdictum dat,
E quod*

quod æquale jus sit habendum inter Usufructuarium
& Usuarium, quod unus retineat usum, alter usumfructum.
Huic quoque consentit ipse Paulus in *L. 20. §. 1. de Pignor. Act.* Quicquid sit, tentari potest, annon negotii hujus subtilissimi decisio in diversis possidendi modis variari possit. Ipsam possessionis naturam non tangit, justè an injustè quis possideat *L. 3. §. 5. π. de A. l. A. P.* Interim justitia vel injustitia possidentis à titulo & conscientia possidentis de sumpta modum possidendi reddit diversum, diversosque producit effectus. Ad partes tamen pertrahenda naturalis & civilis possessionis diversimoda significatio superius abundè explicata. Dicunt aliquando Jcti nostri naturalem possessionem, quæ corpore & præsentia habetur, quæ tamen modum possidendi superius dixi non speciem possessionis peculiarem; civilem ex diverso dicunt illam, quæ animo habetur. Concesserim itaque, diverso possidendi modo rem eandem penes duos concipi posse. Concesserim quoque, corporaliter rei insistentem clam aut vi & ita injustè possidere posse, animo verò rem tinentem justè. Verum hæc superiorem sententiam non infringunt, quippe quæ de propriè sic dicta possessione concepta.

§. XXVII. Adest tamen & alius possessionis effectus, qui licet possessionis perpetuus non sit, sed in casu rei litigosa tantum locum habeat, ne utique tamen omittendus est, scilicet possessio eam habet efficaciam, ut possessor ab onere probandi liberetur *L. 14. §. 20. π. de Probat. l. 2. 15. 16. §. 24. C. Eod.* Et transferat illud ipsum in adversarium *Cit. leg. §. 1. 7. §. 5. π. de Lib. caus.*

caus. l. 23. C. de Probat. l. 4. C. de Edend. Imò in dubio, quando obscura sunt utriusq; jura pro possessore contra petitorum judicari solet Ang. §. 4. Inst. de Interd. Et possessor, actore dominium non probante, absolvitur l. 2. C. de Prob. Dn. Ludwel. in Com. ad Inst. §. 4. de Interd. n. 15. Unde Cautela Advocatorum: Consultius esse & utilius intentare possessorium, quam petitorium. Melior enim est in parili causa conditio possidentis, quam petentis L. 9. §. 4. in fin. π. de Publ. in rem act. l. 126. §. 2. l. 128. pr. l. 154. pr. de R. J. L. 1. §. 1. π. de Salvian. Interd. §. 4. Inst. de Interd. Quia possessor plus juris habet in retinendo, quam actor in agendo, & rem ipsam habere dicitur, qui jure possessionis fruitur L. 1. §. 38. π. Ne quid in loc. publ. Consule ulterius Magnif. Dn. Carpz. Jurispr. for. part. 2. const. 16. def. 23. Sed dicta hactenus etiam suas limitationes pati, praesertim, quando jus commune, vel juris praesumptio resistit possidenti, uti disertè asserit Autor modò laudatus & Dn. Treutl. Sel. disp. vol. 2. disp. 21. thess. lit. C.

§. XXVIII. Restant adhuc alii effectus, qui itidem à quacunq; possessione non producuntur. Praecipuus verò possessionis civilis & quidem bonæ fidei tantum est, quod ipse possessor bonæ fidei habeatur pro domino in L. 48. pr. π. de A. R. D. Imò pro domino tamdiu reputetur, donec actor dominium legitimè probaverit L. 2. C. de Probat, & L. ult. C. de R. V. Possidendo enim dominia rerum adipiscimur L. 1. §. 1. de A. l. A. P. l. 7. §. 3. A. R. D. Illæ verò res, quæ jam dum ab aliquo possessæ sunt per traditionem dominii nostræ fiunt L. 20. pr. & §. ult. Eod. Accidere interim potest, ut, qui possessor



fit, dominus non sit, & vice versa. Hinc Jctus Ulpianus in l. 1. §. 2. π Uti Poss. dicit, Separata debet esse possessio à proprietate, fieri enim potest, ut alter possessor sit, dominus non sit, alter dominus quidem sit, possessor verò non sit; fieri potest, ut & possessor idem & dominus sit. Ex hac itaque lege itemque ex lege 12. §. 1. de A. l. A. P. evinci potest, ipsam proprietatem nihil commune habere cum possessione. Hæc tamen procedunt tantum quoad proprias verborum istorum significationes: Ipsa enim proprietas sive dominium comparatum est in ipsius rei substantiam; sunt verba Dn. Hahnii ad Wesenb. π. de A. vel A. P. n. 8. possessio verò in detentionem: ideoque dominium fortius jus in re est, quam possessio. Quoad accidentia verò intercedere quandam communionem inter Dominium & possessionem facile concederim, non modò, quod utrumque jus in re esse concedam sed etiam in quam plurimis textibus ipsa possessio accipitur pro proprietate in l. 17. de S. P. R. & 78. de V. S. de qua acceptione jam dum in §. 4. vidimus. Quoad consequentiam etiam est quædam communio, quatenus scil. dominium ex possessione caput L. 1. §. 1. de A. l. A. P. Tandem quoque possessio aliquid commune habet cum proprietate ratione connexitatis, quatenus per translationem possessionis quoque ipsum dominium transfertur L. 8. C. de A. l. A. P. Si quis possessor & Dominus simul sit. Unde ex possessione præsumptionem dominii oriri contra Donellum & Corasium assero, motus L. 2. C. de Probat. §. 4. Inst. de Interd. modò tamen illa ipsa possessio non sit injusta.

§. XXIX. De cætero, egregia illa legis civilis fictio-

ctio, quã bonæ fidei possessor pro domino habetur in
l. 49. π. de V. S. & l. 36. π. de R. J. id præstat bonæ fidei
 possessori, ut is tamdiu, quamdiu ipse dominus non
 vindicet rem, omnes fructus lucretur §. 36. *Inst. de R. D.*
l. 22. C. de R. V. l. 48. π. de A. R. D. Cura enim & cultura
 minus principalis causæ sustinent vicem, quod ea fructi-
 bus merè naturalibus applicari non possit, quippe quos
 sola natura producit nihil cooperante humana indu-
 striã, quod verò naturales industriales attinet, negari ne-
 quit, quin in illis cura aliqua hominis interveniat, ut
 in pomis vel pyris, hinc & arbores curari dicuntur *l. 3.*
pr. D. d. impensis in res dotal. fact. Verendum insuper,
 si solius culturæ & curæ ratio habenda esset, id saltem
 possessori concedatur, ut impensam & operam in cu-
 rando & colendo præstitam deducere possit. Repu-
 tanda igitur causa principalis illius possessori concessæ
 fructuum perceptionis bona fides; Hæc enim tantun-
 dem possidenti præstat, quantum veritas, quotiens lex
 impedimento non est. *l. 136. de R. J.* Fructus verò va-
 rii reperiuntur, alii extantes, alii consumpti: Extantes
 iterum vel pendentes, vel percepti, vel percipiendi. Si
 igitur ipsa acquisitio fructuum ex causa aliqua superve-
 nienti fiat revocabilis, ut si forsitan ipse dominus su-
 pervenerit & vindicet rem, eò casu fructus extantes, post
 litis contestationem verò universos, restituere tenetur
 bonæ fidei possessor *l. 22. C. de Rei Vind. & §. 36. Inst.*
de Rer. div. Dicta verò minimè procedunt in malæ fi-
 dei possessore; Hic enim omnes fructus tenetur re-
 restituere, non tantum pendentes perceptos & consum-
 ptos, sed etiam, quos honestè percipere potuisset *l. 33. π.*

de R. V. l. 25. §. de Usur, l. 22. C. de R. V. §. 36. Inst. de R. D. Videri hac de re uberius potest Dn. Ludwell. in Com. ad Inst. §. 36. de R. D. & in Exercit. ad inst. disp. 4. thes. 6. tit. 9. & Dn. Habn. ad Wesenb. de R. V. n. 7. aliisque infinitis.

§. XXX. Insuper & hoc possessio efficit, quod possessor non tantum se possit contra illum, qui turbare eum aut impedire in tranquillâ suâ possessione velit, tueri beneficio exceptionis, sed præterea etiam ipsi dantur interdicta quædam retinendæ & recuperandæ possessionis *l. 1. pr. §. 5. l. 2. & 3. pr. Ulti poss. l. 9. de R. V. §. 4. 5. & 6. Inst. de Interd.* Cum itaq; per interdicta magna utilitas ipsi possessori accrescat, hinc lubet etiam aliquatenus hanc materiam attingere. Ipsa interdicta originem suam habent à Prætoribus *pr. dist. de Interd. Magistratus enim jura reddebant, ut intelligerent Cives, quod jus de quâq; re quisq; dicturus esset i. e. de quibus rebus interdicta daturi essent. l. 2. §. 10. de Orig. Jur.* Ego alii occasione reservatâ hujus derivatione juxta ac ambiguitate definitionem interdictorum Justinianæam hic adducam, quæ in *princ. Inst. de Interd.* ita definiuntur *quod sint forma atq; conceptiones verborum, quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. Quod tunc maxime fiebat, cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.* Hodiè verò ipsa interdicta nihil aliud sunt, quam actiones ex interdictis descendentes *l. ult. C. de Interd.* Adeoq; non necesse est hodiè reddi interdictum: sed perinde judicatur sine interdictis, ac si utilis actio ex causa interdicti reddita fuisset §. ult. *Inst. Eod.* Non tamen propterea argumentandum, ipsa interdicta hodiè esse sublata & in eorum locum actiones

nes

nes extraordinarias esse substitutas, sed tantum curiosa verborum solennitas. Nam hodiè actori sufficit antiqua & ordinaria solemnitate omisa factum narrare simpliciter & interdicti exemplo uti Gothof. *in Not. ad rub. π. de Interd.*

§. XXXI. Præter divisionem illam, quæ aliâ interdicta sunt prohibitoria, restitutoria & exhibitoria, de quibus tractatur *in §. 1. Inst. de Interd. §. l. 1. π. Eod.* etiam alia reperitur, quæ quædam adipiscendæ possessionis, quædam retinendæ, quædam recuperandæ causa comparata *§. 2. Inst. dict. tit.* Interdictum adipiscendæ possessionis est, quando adipiscimur earum rerum possessionem, quam nondum habuimus. Tale interdictum est *Quorum bonorum* quod datur directo bonorum possessori, utiliter verò cuivis, qui jure civili heres est, contra eum, qui pro herede vel possessore bona hereditaria possidet, ut ille possessionem eorum adipisci possit; aut ut aliquatenus abusivè loquar cum Ulpiano *in l. 1. π. Quor. bon.* ut ea ipsi restituantur. Neque enim Prætor potest jubere possessionem hic restitui, quam bonorum possessor nunquam habuit. Interim quod illud vocabulum interdum idem quod dare aut tradere denotare possit, exemplo esse potest vox reddendi, quæ & dandi recipit significationem. *L. 94. π. de V. S.* Quamvis fortè dici possit interdictum illud dici posse restitutorium ratione Rei quod hic reus non jure hereditatem possideat, *v. Bachov. ad Wesenb. π. Quor. bonor. n. 4* Sed hic ut ulterius immer instituti prohibet ratio, properandum potius paucissimis ad alterum adipiscendæ possessionis interdictum

ctum

Etiam *Quorum Legatorum* vulgò dictum, quod datur heredi, vel bonorum possessori ob quodcunqve ejus interesse adversus legatarium ac fideicommissarium ad legatorum aut rerum per fideicommissum relictarum ab his propriâ auctoritate occupatarum possessionis adeptionem. Adhuc unicum adipiscendæ possessionis hic subjiciendum, quod dicitur *Salvianum* & competit directò locatori prædii rustici, contra colonum, utiliter locatori prædii urbani, & cuivis Creditori adversus inquilinum & debitorem ad persequendam rerum oppignoratarum possessionem *L. i. C. de Prec. & Salv. interd.* Et hæc sunt principaliora adipiscendæ possessionis interdicta, quæ conpendiosè posuisse sufficiat; præcipuè quod illa & alia ejusdem generis fusius explicata videre liceat apud Menoch. *in Com. de Adipif. Ret. & Rec. posf. remed.* Dn. Mejerum *in Coll. Argent. de Interd. quor. bon. & Salv.* Wesenb. *in Parat. Eod. & ad eum* Nobilis. Dn. Hahn.

§. XXXIII. Insuper & retinendæ possessionis causa comparata interdicta sunt, quibus possessionem quam jam dum habemus, tuemur atq; retinemus, quale est *Uti Possidetis* quod datur possidenti verè vel quasi contra quovis modò turbantem & impediendum, quò minus quis uti possessione quietè possit, ad interesse cautionemq; præstandam, quod à turbatione desistere & in posterum amplius non turbare, ac illata damna & fructus perceptos restituere velit. Atverò pertinet hoc interdictum saltem ad rerum immobilium, & quæ his comparantur incorporalium possessionem vel quasi
reti-

retinendam; sed & interdictum pro rerum mobilium possessione retinenda proditum à Prætoribus, docet *d. t. π. Utrobi* §. 4. *Inst. de Interd.* Quò remittendus plura desiderans.

§. XXXIII. Nec tantum vi interdictorum acquirere ac retinere possessionem possumus, sed etiam amissam recuperare interdicto scil. *Unde Vi*, quod datum à Prætore dejecto aut ex re immobili, vel uti prohibito jure incorporali, Jurisdictione, ut Practici tradunt aut eorumq; successoribus contra dejectentem aut prohibentem ad possessionem cum omni causa i. e. omnibus bonis quæ habiturus esset spoliatus, si non fuisset dejectus, recuperandam. Atverò paucissima hæc, quæ de interdictis hisce pagellis inserere mihi permittebat propositi ratio probè observanda, oculariter dubio procul demonstrabunt, quantam utilitatem, quanta commoda in foro præsertim ac judiciis latisimè spargat materia possessionis hæctenus pro ingenii captu considerata. Superiù dictum, possesorem relevari à probatione; sed quæ gravissimum onus probatio sit, Advocatis satis notum, eò quammaximè laborantibus, ut illud à cervicibus partis suæ declinare, & humeris adversarii sui imponere possint. Claudio sic præsentem discursum elegantissima Caji sententia in *L. 24. π. de R. V.* *Is qui destinavit rem petere, animadvertere debet, an aliquo interdicto possit nancisci possessionem: quia longè commodius est, ipsum possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente petere.*

F

Hæc

Hæc itaq; sunt, Lector Candide, quæ
de amplâ & in forò usitatisimâ possessionis
materiâ lubuit proferre, plura equi-
dem potuissem, nisi accuratiora fortè alii
desiderassent. A te itaq;ve lector bene-
vole, postulo, ut veniam mihi des, si for-
sitan dicta accuratiori non prosecutus sim
elaboratione: me enim tantum leviter ar-
tibus juridicis imbutum esse scias. Mo-
ribus potius illius, quisquis dixerit, mo-
rem gerere placuit. *Quamvis desunt
vires, tamen est laudanda voluntas.* Si ita-
q;ve non placuerint omnia, forsitan nec
displicebunt cuncta; non obese enim ani-
mus est. Plura itaq;ve cumulare volen-
ti pudor interdicit. Portum
nunc & litus occupo fi-
nioq;ve

MELIORA ACCEPTURUS.
IMMORTALI DEO
IMMORTALES AGO GRATIAS.

Ad

Ad Nobilissimum DN. RESPONDENTEM

De
POSSESSIONE

disputantem.



Ic genere & studiis Clarum conamine honoro
Scandere sic legum pulpita sancta decet.
Pulpita queis monstrat Themidos se castra secutu
Pulchrius exornat seq; saumq; genus.

Qvã benè conveniunt qvæ conjungenda preca-

Triga potens; VIRTUS, NOBILITAS, STUDIUM, (mur

Jam Tibi surgit honos Tua quem conjunctio felix

Non sine Jure suo postulat atq; petit.

Gratulor hinc paucis his de conamine tanto,

Publicus hic labor est, publicus adsit honor.

Testande benevolentie causa rogatus
appos.

Christianus Klengel,

J. U. D. h. t. Acad. Rect.



QVæ regnat volucrum sub va le vi choro

Ales, sceptriferi fulmina quæ Jovis

Prædurâ quatiens comprimit unguâ,

Imbelles culices ardua despicit,

Nec pugnam miseris exitiabilem

Muscis instituit; colla sed ad volans

Serpentum calidò sanguine fortior

Privat, magnanimus victor & aufugit:

F 2

Tu sic,



Tu sic, ô anima dimidium mee,
Nugis posthabitis, undiq; quas leves,
Jactant acriculi de cathedra trabe,
Tantum persequeris condita quæ latent,
Et perdifficilem materiam subis,
Leges enucleans juridicè sacras.
Insta flos juvenum nobilium micans
Porro: sic feries sidera vertice.

Nobilissimo Dn. Respondenti Amico
suo primario p.

CHRISTIANUS AUGUSTUS, L. B.
à FRISEN.



Ad
GENerosum, NOBILISSIMUMq;
VIRUM JUVENEM à Bodenhäusen /
DISSERTATIONIS de POSSESSIONE
AUTOREM

DUmin nostrâ quoq; Cathedrâ de POSSES-
SIONIS Materie eruditè vel Ipsâ Juris Pru-
dentiâ audiente judicanteq; disputas, SE-
RENISSIMI ELECTORIS NOSTRI, ac Patris Tui,
Qvem antiqva Prosapia & rara eruditio commen-
dant.

395
3
dant, expectationi abundè satisfacis. Credas enim
velim mihi, quod, qui studio Juris applicat animum;
idq; seriò persequitur, summos honores Dignita-
tesq; consequi, ac PRINCIPIBUS, Patriæq; immen-
sum quantum prodesse possit. Quo ipso, cum fun-
dere versus negotia non siverunt, gratulabundum
animum Tibi, ERUDITE NOBILIS, exponere volui.

Joachimus Nerger /
D. & P. P.



Ad
GENEROSUM JUVENEM,
JOHANNEM CUNRADUM
à Bodenhausen / EQVIT. BRUNSV.
De
POSSESSIONE
disputantem.

CONfer gradum fortem, sequere Fratrem Tuum;
CUNRADE, fortiter, ipse fortis. Sangvine
Tantum quid optes jungi? honore piæ indolis
Doctæq; quæ studiis, referre convenit
Fratrem, novumq; sic decus Profapiæ
Prægrande conciliare Nobili Tuæ
Antiquitate generis & virtutibus.

Res

Res non caret pio omine. Pia mens Tua
Et docta sistit eruditè ac publicè
Possessionis arduam materiam, ope
Acris tui ingenî disertè discutis
Ac vindicas, cunctis Tibi gratantibus,
CUNRADE, res hæc digna Te & Tuâ indole
Diviniore. Hinc pignora Palestra hæc alit
Maxima futuræ laudis, & nil quàm Tibi
Minatur optima quæq; & ingentia, Tuis
Optata, Quæ de ex corde gratulor singulis!

CONSTANTINUS ZECKA/

S S. Theol. D. P. P.

An meinen Vielgeehrten und Liebwehrtten Gönner/
Hn. Hanns Curten von Bodenhausen/
als derselbe von der Besizung öffentlich
disputirte.

Was mich vorlängst von dir/ O edles Brüder-Paar!
In Hoffnung hat erfreut/ es würde Themis müssen
Der Sachen/ welcher du so embzig dich beflissen/
Noch selber Zeuge seyn; dasselbe wird nun wahr/
Und mir nach wunsch gewehrt. Hier steht man offenbahr
Die nicht gemeine Kunst: Der Zaum ist nun zerrissen/
So deine Tugend hielt: Ist bricht das kluge Wissen
Auff beiden Theilen auß. Erst hut der Meltre dar/
Was Herr-und Herrschafft sey: Dem folget allgemach
Des Jüngern frischer Fleis schon auff dem Fusse nach/
Und zeuget/ was für Recht die Guts-Besizer haben/
So bey dem Besitzen selbst/ und Gütern sich erängt.
Der Vater ist beglückt/ der solche Kinder zeugt/
An denen er sich kan in seinem Alter laben.

Otho Prætorius/ P. P.
Was

Was hilfft frembder Pracht und Zier /
 Wann nicht selbst die Edle Tugend /
 Bricht mit vollem Glantz herfür
 In dem Fröling frischer Jugend?
 Das heist recht geadelt leben
 Wann sich Blut / und Tugend heben
 Ist nicht Mars, so seys doch Ars,
 Eines muß den Preis bekommen;
 Ihn hat diese / andre Mars,
 Edler Gönner ein genommen /
 Drum hört man Ihn weißlich Streitten
 Unter den gelerten Leuten
 Ich besing den edlen Muht
 Und mit mir die Pierinnen
 Weil die Tugend / Kunst- und Blut
 Ganz verknüpft zu sammen rinnen:
 Edler Sinn gelehrt Gehirne
 Phœbus, kröne seine Stirne!

Dieses schreib auß glückwünschendem Gemüthe
 Seinem vielgeneigten Freunde zu ehren

Michael Friederich Lederer /
 beyder Rechten Licentiatus.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



ULB Halle
002 618 818


3




Sb

LD 77







1738

11. 373

1063
6
10

TENTAMEN LEGALE
De
POSSESSIONE,

Quod
CONSENTIENTE MAGNIFICO
AC NOBILISSIMO ICTORUM ORDINE,

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilis, Amplissimi, atq; Consultissimi

Dn. MICHAELIS FRIDERICI LEDERERI,

J. U. L. meritissimi;

Dn. Fautoris ac Præceptoris

optimè meriti, colendi,

publicæ ventilationi sistit

AUTOR

Hans Gurdt à BODENHAUSEN, Eq. B.

In Collegio JureConsultorum,

Ad diem Julii.

WITTEBERGÆ,

Literis RÖHNERIANIS, Acad. Typogr.

A. O. R. M. DC. LXIII.